



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 2. Explicatur medium rei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

eorundem. Cur ergò saltem tunc non erit iustitia media virtus inter duos habitus vitiosos? Insuper, Ratio, quam pro hoc suo assumpto ponit Esparza, non convincit: quando enim dicit, quòd eo habitu, quo aliquis causa est, ut ipse plus habeat, quam deberet habere, eadem est causa, quod alius minus habeat, id non convincit: quia licet id verum sit pro aliquo casu, falsum pro alio, secundum adlatam instantiam de iustitia legali. Nam Actus ille præcisè taxandi, est injurius, & taxans facit quidem minus habere mercatorem, sed ipse nihil plus per hoc acquirit, nisi acta emat, secundum taxam à se factam, qui actus, est quidem lucrativus sed distinctus ab actu taxandi, qui secundum se, est tunc injustus.

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur Medium rei.

EXPLICATUR 1. Fundamento habito in 2. Eth. c. 6. In omni re in indivisibili non consistente, potest accipi plus, minus & æquale: si enim hæc non possunt accipi, ex eo ipso sequitur, rem illā consistere in indivisibili, hoc ipsum autem, quod est accipere posse minus, plus, æquale, vel est in re, vel in ordine ad nos, adeoque medium seu medioere, erit medium inter excessum, & defectum, vel in re, vel in ordine ad nos. *Ad medium quidem rei, id duo, inquit Aristoteles, quod ab utroque extremo æquè distat, est quæ unum & idem omnibus.* Et sic v. g. 5. & 5. in 10. medium sunt; est enim medium inter plus, quod est 6. & 4. quod est minus. Sed ad præsens commodius exemplum ponit Aristoteles, si decem plura sunt & duo pauca, sex medium accipiunt, quantum ad rem quippe quo ex eo & superent & superentur. Sicut enim 6. superat per 4. duo, ita ipsum sex superatur per quatuor à decem. Aliud autem medium appellat quantum ad nos, & hoc dicit esse non unum idemque omnibus; hocque sic exemplificat, quia si alicui 10. minas comedere multum est, & duas parum, non hoc ipso sequitur, quod medium respectu illius sint 6. minæ, quas illi possit ordinare quisquā comedendas: fieri enim potest, quod sumptum hoc vel nimium sit, vel parum, & ita parum erit robusto alicui, multum autem ei, qui aliquam exercitationem iniecit, sobrietate indigentem. Quæ omnia sic complectitur Arist. verba textus sunt: *Non enim si alicui 10. minas comedere multum est, dicas parum, 6. ei Ludimagister comedendas præcipiet. Nam fortasse id quod, ei, si sumpturus sit, erit vel nimium vel parum. Miloni quidem parum, nimium autem ei, qui exercitationem incipiat.* Quod si quæras præcisam definitionem Medii, quoad nos, definit ibidem Arist. quod sit mediocritas ratione præfinita, seu ut superius loquitur, *quando oportet, & ob quæ, &*

erga quos, & cujus causa, & ut oportet, hæc facere. Medium autem rei est, Medium secundum rem, seu id, quod in rebus neque superat, ut excessus, nec deficit, ut defectus.

EXPLICATUR 2. habito fundamento in 5. Eth. c. 3. & 4. & in S. Thoma ibidem in tex. Lect. 4. 5. & c. Et ut id fiat.

PRÆMITTO 1. *Quod injustus & iniquus, injustum item & iniquum idem sint in moralibus, seu ut loquitur Arist.* Injuria iniqua est, proceduntque secundum plus & minus. In quibus autem est plus & minus, illic reperitur & æquale: æquale enim est medium inter plus & minus: Si enim excessum pluri addas ad minus, æqualia erunt, hæcque æqualitas nihil aliud erit, nisi medium inter plus & minus, faciens, scilicet ne hoc sit plus, nec illud minus. Quod si æquale & medium, idem sunt, in quibus erit reperire æquale, in illis erit reperire & medium: quia verò, ut dictum est, injustum est inæquale, & justum æquale; sicut in æquali seu iusto, reperitur æqualitas, ita in iusto, & iustitia, reperietur medium, quod scilicet deiciat ab excessu plus, & dicit illud minus, ut se cōæquet ad illud plus.

PRÆMITTO 2. *Omne justum & æquale ac medium, esse secundum aliquam proportionem.* Unde dicit Arist. Jus igitur quiddam est, quod in proportionem consistit. Rationemque dat: quia sicut proportio necessario numerum requirit, unde dicit: *Quod enim proportione constat, id non tam unitario numero, quam numero in unum versum proprium est: ita & iustitia, non est unius & ad unum, sed ad alterum.* Unde dixit Arist. ibidem cap. 3: *æquum in minimis duobus est.* Quasi dicat, ad minimum iustitia, inter duo commutationis extrema est, licet hæc duo minima inferius subdividat. Quamvis autem justum medium & æquale idem sint, & omnia secundum aliquam proportionem; condistinguiendæ tamen hæc sunt formalitates, ita ut justum sit, quia est per respectum ad alterum, reddendo ei quod suum est; æquale autem, in quantum est in commensuratis rebus, vel quasi rebus, secundum quas attenditur æqualitas inter duas personas. Medium autem in quantum procedit inter duo, quæ sunt plus & minus.

PRÆMITTO 3. *Si justum & medium procedit, secundum aliquam proportionem, quotuplex erit proportio totuplex erit & medium, justumque.* Porro ipsa proportio, quam ut sic definit Arist. Lib. 5. cap. 3. quod sit *æqualitas rationum.* Dividitur in proportionem proportionalitatis, & in proportionem simpliciter. Proportio proportionalitatis nihil aliud est, quam æqualitas proportionis; cum scilicet æqualem proportionem habet hoc ad hoc, & illud ad illud. Proportio autem simpliciter, nihil aliud est, quam habitudo unius quantitatis ad aliam. Rursus proportionalitas dividitur ab Arist. & S. Thoma in proportionalitatem disjunctam & continuam. Disjuncta quidem

dem proportionalitas est, æqualitas duarum proportionum non convenientium in aliquo termino, ut si dicam, sicut se habet 6. ad 3. ita se habet 10. ad 5. ubi sunt quatuor proportionis termini, sine ulla ejusdē termini repetitione. Alia autem est æqualitas continua, quæ est æqualitas duarum proportionum convenientium in uno termino, appellat eam Arist. continentem, exemplum ejus est. Sicut se habet 8. ad 4. ita 4. ad 2. vocatur autem continua, quia, sicut continua appellantur, quorum extrema sunt idem, ita & in præfenti; cum 4. & in prima comparatione, & in secunda ponatur, fit, ut idem sit utriusque extremum. Hæc ergo erit Categoria proportionis.

Proportio ut sic, hæc dividitur in proportionem simpliciter, seu Arithmeticam, quæ est proportio unius ad unum. Et in proportionem, quæ est proportionalitas; estq; proportio ipsarum proportionum; hæc ipsa proportionalitas dividitur in continuam, & disjunctam, jam definitas.

Notio 1. In quonam differant & convenient proportionalitas continua & disjuncta? Differant: quia continua repetit numerum in ipsa prima proportionem, non repetit disjuncta: convenient tamen hæc duæ proportionalitates in his duobus, imprimis, quod non possint esse nisi inter quatuor extrema ad minimum; ut inductione, exemplaque allata ostendunt, & resolvitur in hoc Principium quia proportionalitas est proportio proportionum. Ergo jam requiritur duas proportionem; singula autem proportionem, ex sua definitione, sunt inter duo, bis autem 2. sunt 4. Ergo, proportionalitas semper erit in 4. ad minimum, ad minimum, inquam, quia posset esse plurimum etiam conjugatio proportionum. Secundum, in quo conveniunt proportionalitates, id est, quod quæcunque sunt ad invicem proportionabilia, & permutatim proportionabilia sunt, & quod, quæ est proportio unius ad alterum, eadem sit totius; ad totum, sic v. g. sicut se habet 3. ad 6. ita 6. ad 12. sed 3. deficit medietate, ad 6. Ergo & 6. deficit medietate ad 12. permutata proportione. Sicut se habet 12. ad 6. ita 6. ad 3. sed à 12. 6. superatur medio. Ergo & à 6. 3. superabitur medio. En vides proportionem permutatam tenere. Ex quo etiam exemplo apparebit, eandem esse proportionem unius ad alterum, quæ totius ad totum. Cujus tale exemplum adducit S. Thomas. Si quæ est proportio 10. ad 8. eadem est proportio 5. ad 4. sequitur ulterius, quod quæ est proportio 10. ad 8. & 5. ad 4. eadem sit proportio 10. & 5. simul acceptorum, quæ sunt 15. ad 8. & 4. simul accepta, quæ sunt 12. quia hic etiam est sesqui quarta proportio.

Notio 2. In quo convenient & differant proportio Arithmetica & Geometrica? Convenient quidem in hoc, quod utraq; spectet æqualitatem & intendat; sed longè aliam & aliter. Quia æquale Geometricum attenditur secundum

proportionalitatem æqualitatem. Arithmeticum autem secundum æqualitatem quantitatis. Exemplificat id S. Thom. Quia 6. secundum Arithmetice proportionalitatem, medium est inter 8. & 4. exceditur enim ab uno & excedit in 2. sed non est proportio eadem utrobique. Nam 6. se habet ad 4. in sesqui altera proportionem. 8. autem ad 6. in sesqui tertia. E contrario verò, secundum Geometricam proportionalitatem, medium exceditur, & excedit, secundum eandem proportionem, sed non secundum eandem quantitatem. Sic enim 6. est medium inter 9. & 4. utrobique, enim invenitur sesqui altera proportio; sed non eadem quantitas: 9. enim excedunt 6. in 3. 6. verò, 4. in 2. Hæc S. Thom. cujus loci iste videtur sensus. Sex se habet ad 4. in sesqui altera proportionem; quia sex continet in se 4. & insuper super 4. duo, quod ipsum duo, est altera pars 4. sesqui ergo altera proportione à 6. superatur 4. quia superatur duobus, quod duo, est altera pars 4. Jam autem 8. est ad 6. in sesqui tertia proportionem, quia 8. continet in se 6. & insuper duo, quod duo, est tertia pars ipsius sex: superat ergo octo sex, sesqui tertia proportionem. Decem ad octo, est in sesqui quarta proportionem: quia octo à decem superatur duobus, quod duo, est quarta pars ipsius octo. Rursus, quindecim ad duodecim, est in eadem sesqui quarta proportionem: quia quindecim continet in se duodecim, & insuper tria, quod tria est quarta pars ipsius duodecim.

Notio 3. Quod videatur S. Th. agnoscere, quod detur competens proportionalitas etiam Arithmetica; nomineq; proportionalitatis utitur: consequenter requirens 4. minima. Cujus exemplum est; sicut se habet 6. ad 8. ita 4. ad 6. Cum hac tamen differentia: quia in illa proportionalitate, est eadem quantitas. Nam duo additum ad 6. facit 8. & duo additum ad 4. facit 6. ubiq; repetendo 2. Sed non est eadem proportio: quia in 6. habente se ad 4. est sesqui altera proportio, in 8. autem habente se ad 6. sesqui tertia. E contra verò, ut jam dixi, in Geometrica proportione. Et ita 6. est medium inter 9. & 4. sed medium secundum proportionem: quia sicut 9. tertia parte superat 6. ita 6. tertia parte superat 4. quam appellat S. Thomas sesqui alteram proportionem: sed non est eadem quantitas: quia 9. habet ternionem supra 6. sex verò supra 4. non ternionem, sed binarium. Hanc tamen divisionem & acceptionem usus non habet, ne videatur confundere duas has proportionem Arithmetice & Geometricæ.

PRÆMITTO 4. Iustitiam distributivam seu Ætate proportionem Geometricam: sicut enim hæc proportio attendit ad æqualitatem, & medium; ita & iustitia distributiva. Sicut hæc proportio est inter quatuor extrema, ita & iustitia distributiva attendit ad duas inter se comparatas personas, earumque dignitates; & ad duas res, seu bona dividenda unicuique, de quo sic loquitur S. Thomas: Oportet ad rationem iustitiæ, quod sit

eadem aequalitas personarum, quibus sit iustitia, & rerum, in quibus sit, ut, scilicet, sicut se habent res ad invicem: ita & persona, alioqui non habebunt aequalia sibi: sed ex hoc fiunt pugna & accusationes, quasi sit iustitia prætermissa: quia vel aequales non recipiunt aequalia in distributione bonorum communium: vel non aequalibus dantur aequa, puta si inaequaliter laborantibus dantur aequalia stipendia, vel aequaliter laborantibus dantur inaequalia. Rursus, sicut in proportionibus proportionalitatis quæ ad invicem proportionalia sunt, eadem permutata proportionalia sunt, ita & in præsentibus. Notandus hic est textus Arist. cap. 3. citatus, qui ita habet: Sicut igitur primus terminus sese habebit ad 2. ita 3. ad 4. igitur etiam alternata vice, sicut primus ad tertium, ita secundus ad quartum; quare etiam totum ad totum, quod distributio binatim copulat, quæ si etiam ita composita fuerint, iuste copulat, quasi dicat. Duplex intervenit jugatio in distributione: prima, primi ad secundum, simulque tertii ad quartum. Et alia, primi ad tertium, & secundi ad quartum; & tamen his omnibus positis subdit: primi igitur termini cum tertio, & secundi cum quarto, jugatio ius illud est, quod in distributione consistit: ubi cum supra posuisset jugationem primi cum secundo, & tertii cum quarto, nihilominus hic enuntiat, à distributiva attendi ad jugationem primi ad tertium, & secundi ad quartum. Cujus puto hanc esse rationem: quia nomine primi, venit v. g. una persona; & nomine secundi, altera; nomine tertii, venit munus primæ, nomine quarti venit munus secundæ personæ, quod etiam ostendit ipsum paradigma à S. Thoma Lectione 5. formatum: Cujus proportionis attentio spectat quidem, sed non nisi antecedenter dispositivè & directivè ad iustitiam distributivam, qualitatibus personarum comparationem, & magnitudinem dandorum. Sed ad hoc proximè & immediatè, tanquam ad rationem suam ultimam, non attendit distributiva: illa enim, ex natura sua, est inductiva dominii, habitudinisque personæ ad munus, completivæque uniuscujusque fortunæ, secundum prædirectionem factam, ut possideat suum: quam possessionem sui, habitudinemque ad munus, quia non ostendit nisi jugatio primi cum tertio, & secundi cum quarto, fit, ut dicat, quod primi termini cum tertio & secundi cum quarto jugatio, ius illud sit, quod in distributione consistit; consequenter, nec attendit ad jugationem primi cum quarto, nec secundi cum tertio, quia hæc jugatio esset unius v. g. dignioris personæ, non cum suo munere, sed cum munere alius, ad quam jugationem ultimò formaliter non attendit distributiva: quia hæc jugatio non ostendit conjunctionem boni & personæ: nec infert ullam possessionem, ad quam tamen inducendam ordinatur distributiva.

PRÆMITTO 5. Iustitiam commutativam, regulariter loquendo, attendere ad proportionem sim-

pliciter seu Arithmetice, quod exprimit Arist. cap. 4. Ius verò, quod in commerciis est, est quidem æquum quoddam, & iniuria iniquum, non tamen illa constat proportionem, sed Arithmetice, per Ly illa proportionem, intelligens Geometricam, quia oppositam Arithmetice. Probat autem id Arist. quia cum non attendat iustitia commutativa ad qualitatem personarum, perindeque personis, inquit, utitur, ac si æquales essent, si ille iniuria afficiat, hic afficiatur. Unde tam bene Princeps accipiens 10. tenetur restituere 10. ac in simili facto tenetur ad idem plebejus: hinc fit, ut non attendat ad proportionem Geometricam, hocque ipso attendat ad proportionem Arithmetice, quod procedit hoc sensu: quia regulariter, & ut plurimum attendit commutativa ad proportionem Arithmetice: nam quod in aliquibus casibus attendat etiam ad Geometricam, infra dicetur. His præmissis

EXPLICATUR. Omne medium est æquale: si æquale, est inter plus & minus, ut dixi Præmissis primo; si autem est inter plus & minus, debet esse secundum proportionem, consequenter & medium rei, erit æquale inter plus & minus interjectum secundum proportionem, ut dixi Præmissis secundo. Quod si medium rei est inter plus & minus secundum proportionem, quot erunt proportionis modi, tot erunt & æqualitates mediæ rei. Quia autem duplex est proportio, nempe Geometrica & Arithmetica, ut dixi Præmissis tertio, etiam æqualitas iustitialis mediumque rei, erit illud Geometricæ proportionis, adeoque pertinens ad iustitiam distributivam, ut dixi Præmissis quarto. Et aliud æquale est medium rei in proportionem Arithmetice, spectabitque ad iustitiam commutativam.

Brevioribus autem terminis. Medium rei est æquale interjectum inter plus & minus rerum. Unde postea sequitur, quod hoc medium sit idem apud omnes; & quod non desumatur per ordinem ad operantem, sicut & ipsæ res, sunt eadem apud omnes, & non desumuntur ab operante. Medium autem rationis, erit æquale interjectum inter plus & minus, secundum præcisè rationem, ex quo postea sequitur medium hoc, non esse idem in omnibus; cum non eadem in omnibus rationes, respicereque etiam operantem, qui pro se suas etiam fundat rationes.

DICENDUM est. Medium rei intendi à iustitia.

PROBATUR 1. Citato textu Arist. & S. Thomæ q. 58. a. 10.

PROBATUR 2. Iustitia debet intendere ali-quod medium, est enim virtus, & omnis virtus in mediocritate consistit. Sed non intendit medium rationis, quod probatur. Quia virtus, quæ est ad alterum, à virtutibus, quæ ad ipsum, est distincta. Ergo, & medium intentum, de-

hoc habere distinctum. Ergo, cum alia virtutes intendunt medium rationis, iustitia debet intendere medium rei: neque enim datur tertium.

PROBATUR 3. Illud medium intendit iustitia, quo solo posito, æquantur homines, non posito, non æquantur; hoc autem est medium rei.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Iustitia distributiva, non attendit ad medium rei: quia expressè S. Thomas q. 61. a. 5. in corpore, inquit: *In iustitia distributiva non accipitur medium secundum æqualitatem rei ad res, sed secundum proportionem ad personas.*

RESPONDETUR. S. Thomas non plus vult, quam, quòd si Petri dignioris & Pauli minus digni comparentur inter se bona distributione æqualitas, non sit futura æqualitas rei ad rem, ut si accipiat iustè Petrus 9. & Paulus nonnisi duo, & medium; sed non dicit, quòd non sit futura æqualitas, hoc est, medium inter plus Petro dabile, & inter minus, quàm debeatur eidem, dabile, in quo tamen stat medium rei, in distributione, ut mox dicitur.

INSTABIS 1. In iustitia distributiva attenditur ad personarum dignitatem per omnes. Ergo, illa non respicit medium rei.

RESPONDETUR. In iustitia distributiva attenditur ad dignitatem personarum, sed hic actus, non spectat propriè ad iustitiam, sed nonnisi reductivè; in quantum iustitia imperat prudentiæ hunc actum in suum bonum. Cumque omnis actus virtutis indigeat regulari prudentiâ, benè hanc regulationem ponibilem in taxa dignitatis personarum, exigere poterit iustitia, à prudentia. Unde, etiam per hunc actum, non distinguetur distributiva à reliquis virtutibus; posita autem taxa dignitatis personarum in distributiva, tum quæritur à iustitia medium inter plus & minus ex dando.

INSTABIS 2. Ergò eodem jure, quando prudentia ostendit temperaturo, ut tantum comedat, præcedens dictamen spectabit ad prudentiam, tantitas autem cibi ad temperantiam: consequenter non sola distributiva, sed etiam temperantia, attendet ad medium rei, præmonstratum ex consideratione personarum.

RESPONDETUR. Æquales sunt in hoc distributiva & temperantia, quod utrique prætaxet conditionem personæ prudentia: in hoc tamen erit disparitas: quia totam rationem formalem suæ honestatis, desumet iustitia ex ipso medio rei; nempe æqualitate rerum in illam et ipsa sistendo, quod non repugnat virtuti & vel maxime iustitiæ convenit. Quod si in medio sistet, hoc ipso medio rei intendet. Jam

autem v.g. temperantia honestatem, quam intendit, non desumet ex ipsa tantitate cibi, nec in illa sistet, sed procedet ad consequentem macerationem & afflictionem, ejusque honestatem; consequenter, non est in temperantia medium rei, quod illa ultimò intendit. Et nisi ponatur respectus in temperantia, ad ipsummet operantem, non erit per quid transeat ad denominationem temperantis; sed nonnisi habebit denominationem hoc comedentis, & si post tantam comestionem non sequeretur maceratio, verè non esset ille temperans, quod ostendit tantitatem illam, ad macerationem referri. Dato autem æquali in distributione, etiamsi, cui datur, non sit contentus, adhuc erit iusta distributio; quod ipsum ostendit, ad medium rei hic attendi.

INSTABIS 3. Si ad prudentiam spectat consideratio illa personarum. Ergo, etiam spectabat & medium rei taxare.

RESPONDETUR tali instantia. Non spectat ad eum, qui attendit mensuræ publicæ, ipsius bilancis æqualitas, sed eam fabricare, investigare, & ponere, spectat primo ad artificem suo habitu artificiali, & physica naturali fultum: licet idem mensurans, necessariò præsupponat æqualitatem bilancis, illaque; præsupposita, mensurandorum æqualitatem respicit; hinc non est puniendus, si bilanx publica non sit æqualis, sed punietur, si in bilance; qualem accipit, rerum mensurandarum æqualitati non attendit. Sic & in præsentia, taxare dignitatem personarum non spectat ad iustitiam; sed illa posita, mensurare, ne detur plus vel minus, spectabit, jam ad iustitiam, præcisè attendendo ad plus & minus dandorum: præcipuè cum taxatio illa habeat specialem honestatem difficultatem, adeoque objicibilitatem.

OBJICITUR 2. Iustitia est intentiva in æqualitatis rerum: quia in iustitia distributiva intenditur, ut detur plus, plus merito, & minus, minus merito.

RESPONDETUR. In æqualitas, quæ interdum reperitur in iustitia distributiva, est in æqualitas sed non contra jus, cum juri, cui satisficit, semper à distributiva ponatur æquale; qualis in æqualitas reperitur etiam in commutativa, dum pro pretiosiori plus, pro minus pretioso, minus datur.

Alii autem dicunt, quod iustitia ex primaria intentione æqualitatem intendat, eamque impleat, licet per sequelam, & per quoddam consecutarium, pullulet aliqua in æqualitas. Retineri etiam alias positi termini possent; quòd iustitia intendat dari interdum plus materialiter, sed non plus formaliter quam sit in hoc, jus, in alio, debitum.

OBJICITUR 3. Medium rei, semper est idem, apud omnes, & omni tempore, sed falsum est omnes commutationes omni tempore, & apud